



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 4. Nulli iniuriam fieri, si ad mortalem vitam reuocetur; cu[m] id ei
prodesse poßit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

prorogare, ut eam, cum meliore vita, commutaret.

§. IV.

Nulli iniuriam fieri, si ad mortalem vitam reuocetur; cum id ei prodesse possit.

Luc. 8. 5.

Luc. 7. 11.

Joan. 11.

43.

Matth.

27. 53.

Neque idcirco putandus est Christus vel iniuriam, vel molestiam intulisse ijs, quos à morte ad vitam excitauit; ut cum Iairo principi Synagogæ filiam, & viduæ filium, ante ciuitatem Naim; ac sororibus fratrem Lazarum; illam domi & de lecto; illum foris, & de capulo; istum in campis, & de sepulchro reddidit: item quando *monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Tunc animæ horum excitatorum nondum Dei visione fruebantur, facile igitur vel è limbo Patrum, vel è Purgatorio, se ad corpus retrahi passæ sunt, ut vel hîc satisfacere, vel merita sua possent accumulare. Quod etiã de ijs, qui in veteri Testamento, reuixerunt, dici potest; & de ijs quoq;, quos alij sancti, in nouo Testamento, precibus denuò animauerunt. Certè, quos constat, è Purgatorio rediisse, libenter, in hac vita longis annis varios labores ac cruciatus sustinuerunt, ut poenas alterius vitæ exhaurirent. Nulli calo addi
 & i

At in vitam mortalem sunt restituti. Ad paucos dies, immo horas his restitui, esset graue: & mallent vtiq; denuò mori, quàm consortio carere beatorum.

§. V.

Posse quidem vnum pro alterius, ad meliorem vitam, transitu orare: sed hîc cautela opus esse.

Ex quibus omnibus duo deduco. Primum, posse, sine iniuria, vnum amicorum aut sociorum, pro altero orare, vt Deus eum citò, ex hac misera vita, ad alteram felicem educat, & secum in cælo beatum faciat. Si enim id pro se, quem amare arctiùs obstringitur, facere potest, cur non etiam id possit pro altero? Dummodo ex vero, & non simulato, amore, aut odio, id faciat. Noui, in celebri Germaniæ ciuitate, arcularium, qui vulgò probus & vxoris suæ amans esse putabatur. Is lue, cum vxore sua, correptus ad extrema perductus, anima iam fugiente, audiuit, vxorem suam iam esse extinctam: quo nuncio lætus dixit: iam & ego libens moriar, postquam certus sum, me illam, post me, non relinquere, dudum dignam mori. Dixit. & ipse mox secutus, nescio, quam dicti sui mercedem reportarit.

Alio